

S V M M A

Dicendorum in hac disputatio-
ne duodecima.

NUMERO primo *Quinque esse poten-
tias anime in uniuersum probatur.*
Num. 2. Ponuntur viginti rationes
probantes potentias anime distingu-
re realiter ab anima. Num. 3. Qua-
tuordecim rationes probantes potentias anime non
distinguere ab anima realiter. Num. 4. Soluuntur ra-
tiones probantes distinctionem realem potentiarum
anime ab anima. Num. 5. Soluuntur rationes im-
pugnantes distinctionem realem potentiarum
anime ab anima. Num. 6. Concludit auctor potentias
anime non distinguere realiter ab anima, sed tantum
formaliter. Num. 7. Quod distinguuntur formaliter,
probatur. Num. 8. Determinat auctor poten-
tias anime specificari ex seipso.

Partitio I.

*De numero potentiarum anime in
uniuersum.*

Hic maximè laborant Philosophi rum Veteres, tum Neoterici in declarando, & expli-
cando potentiarum numero.

DECISIO.

REsoluto. Communis opinio tenet esse tantum quinque potentiarum anime genera, qua opinio vera est, licet nullà stabi ratione possit demonstrari; sic ergo probatur communiter: Potentia animæ vel (unt cum cognitione, vel si ne cognitione, est)que potentia vegetativa: si sit cum cognitione, vel cum cognitione, qua sit in ipsa potentia, vel qua sit extra ipsam potentiam: si cum cognitione, qua sit in ipsa potentia, & illa cognitione habeatur per sensus, erit potentia sensitiva; si habeatur nobiliori modo, nempe per intellectum, erit potentia intellectiva: si illa cognitione sit in aliqua potentia prævia, tunc erit potentia appetitiva, qua in hoc differt à propriæ cognoscitiuæ, quod cognoscitiuæ attrahant sibi suum obiectum, at appetitiuæ supponunt quidem cognitionem, labuntur vero in suum obiectum, nec illud attrahunt; verum quia appetitiuæ in suum obiectum inclinantur, quod est extra ipsas, inclinantur inquam tantum intentionaliter, ideo indigent aliquâ alia potentia, quâ animal [assequatur] actualiter suum obiectum, & hæc est potentia locomotiva, v.g. appetito ire Roman, egeo adhuc potentia locomotiua, vt actualiter me Roman conferam: Ex quo toto discursu colligunt Philosophi has quinque potentias in genere dari, nempe potentiam vegetativam, sensitivam, intellectivam, appetitiuam, & locomotivam.

Ostenditur in aliud ratione com-
munius.

Hæc autem ratio est omnium rationum potentissima ex ijs, qua solent afferriri ad stabiliendum prædictum potentiarum anime numerum: sed certa nulla est, neque concludit illo modo, si enim pro potentia cognoscitiua per sensus detur peculiaris potentia, & pro cognoscitiua per species intelligibiles detur altera pe-

cularis, cur non danda erit una peculiaris pro appetitiua sensitiva, & altera peculiaris appetitiua pro appetitiua rationali? si enim pro cognoscitiua sensitiva detur una peculiaris, cur non etiam pro appetitiua sensitiva? dicunt enim communiter, quod detur una appetitiua tantum, quia appetitiua qualibet fertur eodem modo ad suum obiectum, ita dicam de cognoscitiua; nam fertur ad suum obiectum illud attrahendo ad se, sicut appetitiua veluti per lapsum ad suum obiectum fertur ad illud. Ex quo patet recipiendum esse dictum numerum potius ob autoritatem Doctorum, quam ob aliquam rationem, in qua fundetur.

Obiectur communiter: Non sunt plures obiectus potentia animæ, quam sint animæ: sed tantum sunt tres animæ, ergo & tantum tres potentiae animæ: minor pater: maior probatur: Tot solum sunt principiata, quorū sunt principia, sed tantum sunt tria principia, nempe tres animæ, ergo tantum tres potentiae, quæ principiantur in anima.

Respondeo concedendo minorem, & negando maiorem: item & negando maiorem confirmationis, nam etiam experientia constat plura esse principiata, quam principia, & quod magis receditur à principio, eo maior causatur multiplicitas; sic enim ab uno fonte plures rami, ab uno trunco plures rami, ab uno ramo plures frondes, &c.

Obiectur secundo: Quod confunditur cum omnibus potentij, non constituit peculiare genus potentiae: sed potentia appetitiua confunditur, & reperitur in omnibus potentij, ergo non est peculiaris potentia distincta ab alijs: maior patet: minor probatur: omnis potentia appetit suum obiectum, ergo potentia appetitiua confunditur cum omnibus potentij.

Respondeo concedendo maiorem, & negando minorem; nam licet omnis potentia aliquo modo appetit suum obiectum, appetitamen naturali appetitu, non vero appetitu animali; quare pro appetitu animali dabatur una potentia, pro appetitu vero naturali non datur specialis potentia, sed confunditur, reperiaturque in omnibus potentij; argumentum vero procedit, & concludit solum de appetitu naturali, non autem de animali; vt autem argumentum de medio tolleret peculiare genus potentiae appetitiue, deberet procedere de quolibet appetitu, concedit autem tantummodo de naturali, quare nihil concludit contra communem doctrinam,

Partitio II.

*De distinctione potentiarum anime
tum ab ipsa anima, tum inter se.*

Et adem planè distinctione distinguuntur inter se potentiae animæ, quæ ipsæ distinguuntur ab ipsa anima, quare ex resolutione vnius infertur alterius resolutio.

Controversia ergo est, quomodo potentiae animæ ab ipsa anima distinguuntur. Triplicem famosam reperio opinionem: Prima est Nominalium, Ariminensis, Ochami, Gabrielis &c. in secundo